

non crediderunt. Qui ergo recti sunt corde, et non dicli-  
nant, quid habebunt? Jam veniamus ad ipsam hæredita-  
tem, fratres, quia filii sumus. Quid possidebimus? Quæ  
est hæreditas? quæ patria nostra? quid vocatur? Pax. Per  
hanc vos salutamus, hanc vobis annuntiamus, hanc sus-  
cipiunt montes, et colles justitiam<sup>1</sup>. Ipsa est Christus.  
« Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et  
» medium parietum maceriæ solvit<sup>2</sup>. » Quia filii sumus,  
hæreditatem habebimus. Et quid vocabitur ipsa hæredi-  
tas, nisi pax? Et videte quia exhæredati sunt, qui non  
amant pacem. Non autem amant pacem, qui dividunt uni-  
tatem. Pax possessio piorum est, possessio hæredum. Et  
qui sunt hæredes? Filii. Audite Evangelium: « Beati pa-  
» cifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur<sup>3</sup>. » Audite et  
conclusionem hujus Psalmi: « Pax super Israël. » Israël  
videns Deum; Jerusalem visio pacis interpretatur. Intel-  
ligat Charitas Vestra: Israël interpretatur videns Deum;  
Jerusalem interpretatur visio pacis. « Qui non commove-  
» buntur in æternum? Qui inhabitant Jerusalem. » Non  
commovebuntur ergo in æternum, qui inhabitant visio-  
nem pacis. Et, « Pax super Israël. » Ergo Israël qui videns  
Deum est, videns pacem est: et ipse Israël est et Jerusa-  
lem: quia populus ille Dei, ipsa est civitas Dei. Si ergo  
videns pacem, hoc est videns Deum; merito et Deus ipse  
est pax. Ergo quia Christus Filius Dei pax est, ideo venit  
colligere suos; et discernere ab iniquis. A quibus iniquis?  
Qui oderunt Jerusalem, qui oderunt pacem, qui volunt  
conscindere unitatem, qui non credunt paci, qui falsam  
pacem pronuntiant in populo, et non illam habent, Qui-  
bus respondetur cum dixerint, Pax vobiscum, Et cum  
spiritu tuo: falsum dicunt, et falsum audiunt. Quibus  
dicunt, Pax vobiscum? Quos separant a pace orbis terra-

<sup>1</sup> Psal. xvii, 3. — <sup>2</sup> Ephes. ii, 14. — <sup>3</sup> Matth. v, 9.

rum. Et quibus dicitur, Et cum spiritu tuo? Qui dissen-  
siones amplectuntur, et odiunt pacem. Si enim in spiritu  
eorum esset pax, nonne unitatem diligerent, et relinque-  
rent dissensionem? Falsum ergo pronuntiantes, falsum  
audiunt. Nos verum pronuntiemus, et verum audiamus.  
Simus Israël, et amplectamur pacem; quia Jerusalem est  
visio pacis, et nos Israël, et « Pax super Israël. »

## ENARRATIO

### IN PSALMUM CXXV.

#### Sermo ad plebem.

I. SICUT jam meministis, ex ordine nobis tractantibus  
iste Psalmus est centesimus vicesimus-quintus, qui inter  
illos Psalmos est, quorum est titulus, « Canticum gra-  
» duum. » est autem sicut nostis vox ascendentium: quo,  
nisi ad illam supernam Jerusalem, matrem omnium  
nostrum, quæ est in cœlis<sup>1</sup>? Quæ superna est, ipsa et  
ætterna. Hæc autem quæ in terra fuit, umbram habebat  
illius. Itaque ista cecidit, illa permanet: hæc implevit  
tempus prædicationis, illa tenet æternitatem nostræ repara-  
tionis. Ab illa peregrinamur in hac vita reditum ad ejus, sus-  
piramus; tandiu miseri et laborantes, donec ad illam redea-  
mus. Nec ciues nostri Angeli dimiserunt nos in peregrina-  
tione, sed annuntiaverunt nobis ipsum Regem venturum  
ad nos. Et venit ad nos, et contemptus est inter nos a

<sup>1</sup> Gal. iv, 16.

nobis, et postea nobiscum : et docuit nos contemni, quia contemptus est ; docuit tolerare, quia toleravit ; docuit pati, quia passus est ; et promisit resurrecturos, quia resurrexit, in se ipso ostendens quid sperare debeamus. Si ergo, fratres, Prophetæ antiqui patres nostri, antequam Dominus Jesus Christus veniret in carne, antequam mortuus resurrexisset et ascendisset in cœlum, suspirabant tamen illi civitati : quantum nos oportet desiderare, quo nos ipse præcessit, et unde nunquam recessit ? Non enim Dominus sic venit ad nos, ut desereret Angelos. Et illis mansit, et ad nos venit : illis mansit in majestate, ad nos venit in carne. Eramus autem, ubi ? Si redemptor noster ille dicitur, captivi tenebamur. Ubi ergo tenebamur, ut ille veniret redimere captivos ? ubi tenebamur ? Forte apud barbaros. Pejor est barbaris diabolus et angeli ejus. Ipsi antea tenebant genus humanum : ab eis redemit nos, qui non aurum neque argentum, sed sanguinem suum pro nobis dedit.

II. Quomodo autem homo venerat in captivitatem, Paulum apostolum interrogemus. Etenim ipse præcipue gemit in ista captivitate, suspirans æternæ Jerusalem : et docuit nos gemere ex ipso Spiritu, quo et ille impletus gemit. Hoc enim ait : « Omnis creatura congemiscit et » dolet usque nunc. » Et iterum : « Vanitati enim creatura subjecta est, ait, non sponte, sed propter eum » qui subiecit in spe. » Omnem creaturam dixit in hominibus etiam non credentibus, sed tamen credituris, ingemiscere creaturam in laboribus. Numquidnam in his tantum gemit, qui nondum crediderunt ? jamvero in his qui crediderunt non gemit, nec parturit creatura, « Non solum autem, inquit, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, » id est, qui jam spiritu Deo servimus, qui jam mente Deo credidimus, et in ipsa fide primitias

quasdam dedimus, ut primitias nostras sequamur : « Ergo » et nos ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem » expectantes, redemptionem corporis nostri. » Gemitat ergo et ipse, et gemunt omnes fideles, adoptionem expectantes, redemptionem corporis sui. Ubi gemunt ? In ista mortalitate. Quam redemptionem expectant ? Corporis sui, quæ præcessit in Domino, qui resurrexit a mortuis, et ascendit in cœlum. Hoc nobis antequam reddatur, necesse est gemamus, etiam fideles, etiam sperantes. Ideo sequitur ibi, et dicit ; cum diceret, « Et ipsi in nobismet- » ipsis ingemiscimus adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri : » quasi diceretur ei, Quid tibi ergo profuit Christus, si adhuc gemis ; et quomodo Salvator salvum te fecit ? Qui gemit, adhuc ægrotat. Subjunxit, et ait, « Spe enim salvi facti sumus : spes autem quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat ? Si » autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus<sup>1</sup>. » Ecce quare gemimus, et quomodo gemimus, quia quod speramus, jam quidem expectamus, sed nondum tenemus, et donec teneamus, in tempore suspiramus, quia desideramus quod nondum tenemus. Quare ? « Quia » spe salvi facti sumus. » Jam caro sumpta de nobis in Domino, non spe, sed re salva facta est. Resurrexit enim et ascendit in capite nostro caro nostra salva, in membris adhuc salvanda est. Secura gaudeant membra, quia a capite suo non sunt deserta. Dixit enim membris laborantibus, « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi<sup>2</sup>. » Ita factum est ut converteremur ad Deum. Spem enim non habebamus, nisi ad sæculum ; et inde servi miseri, et bis miseri, quia et in hac vita spem posueramus, et faciem habentes ad sæculum, dorsum contra Deum. Cum vero converterit nos Dominus, ut jam

<sup>1</sup> Rom. viii, 20-25. — <sup>2</sup> Matth. xxviii, 20.

incipiamus faciem habere ad Deum, et dorsum ad sæculum, qui adhuc in via sumus, tamen patriam attendimus: et quando forte aliquam tribulationem patimur, sed tamen tenemus viam, et ligno portamur; asper quidem ventus, sed ventus prosper est, cum labore quidem, sed cito ducit, cito perducit. Quia ergo de captivitate nostra gemebamus, gemunt autem et illi qui jam crediderunt: quomodo autem facti sumus captivi, obliti fuimus, sed per Scripturam commemoramur: Paulum ipsum apostolum interrogemus; ait enim, « Scimus enim quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato<sup>1</sup>. » Ecce unde facti sumus captivi, quia venundati sumus sub peccato. Quis nos vendidit? Nos ipsi, qui consensimus seductori. Vendere nos potuimus, redimere non possumus. Vendidimus nos consensione peccati, redimimur in fide justitiæ. Sanguis enim innocens datus est pro nobis, ut redimeremur. Quemcumque sanguinem ille fudit persequendo justos, qualem sanguinem fudit? Justorum quidem sanguinem fudit, Prophetarum, patrum nostrorum, justorum sanguinem fudit et Martyrum: tamen omnes de propagine peccati venientes. Unum sanguinem fudit ejus qui non justificatus, sed justus natus est: illo sanguine fuso, perdidit quos tenebat. Pro quibus enim datus est innocens sanguis, redempti sunt; et conversi a captivitate, cantant istum Psalmum.

III. « Cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. » Hoc volui dicere, facti sumus gaudentes. Quando? « Cum converteret Dominus captivitatem » Sion. » Quæ Sion? Ipsa Jerusalem, et æterna Sion. Quomodo æterna Sion, quomodo captiva Sion? In Angelis æterna, in hominibus captiva. Non enim omnes illius civitatis cives captivi sunt: sed qui inde perigrinantur, ipsi

<sup>1</sup> Rom. vii, 4. — <sup>2</sup> Psal. cxxv, 1.

captivi sunt. Homo civis est Jerusalem; sed venditus sub peccato, factus est peregrinus. De propagine ipsius natum est genus humanum, et implevit terras captivitas Sion. Et ista captivitas Sion quomodo umbra illius Jerusalem? Umbra illius Sion quam acceperunt Judæi, in imagine, in figura fuit, in captivitate in Babylonia, et post septuaginta annos rediit ille populus ad civitatem suam<sup>1</sup>? Septuaginta anni significant omne tempus, quod septem diebus volvitur: cum autem transierit omne tempus, tunc redimus et nos ad patriam nostram; quomodo ille populus post septuaginta annos rediit a captivitate Babyloniæ. Babylonia est enim mundus iste: Babylonia enim interpretatur, confusio. Videte si non est confusio tota vita humana. Quidquid agunt homines in spe vana, quando cognoverint quid agunt, erubescunt. Quare laborant? cui laborant? Filiis meis, inquit. Et ipsi cui? Filiis suis. Et ipsi quibus? Filiis suis. Nemo ergo sibi. Ab ista ergo confusione jam conversi erant, quibus dicit Apostolus, « Quam enim gloriam habebatis in his, in quibus nunc erubescitis?<sup>2</sup> » Confusio ergo est ista tota vita rerum humanarum, non pertinens ad Deum. In hac confusione, in ista Babylonia, captiva tenetur Sion. Sed « Convertit Dominus captivitatem Sion. »

IV. « Et facti sumus, inquit, sicut consolati: » id est, gavisi sumus, tanquam consolationem accipientes. Consolatio non est nisi miserorum, consolatio non est nisi gementium, lugentium. Quare « Quasi consolati, » nisi quia adhuc gemimus? Gemimus in re, consolamur in spe: cum transierit res, de gemitu gaudium veniet æternum, ubi non opus erit consolatione, quia nulla miseria sauciabimur. Quare autem « Velut consolati, ait, » et non ait consolati? Non semper quasi ad similitudinem ponitur hoc verbum, « Sicut, »

<sup>1</sup> Jerem. xxv, 11, et xxix, 10, et i Exod. 1, 1. — <sup>2</sup> Rom. vi, 21.

quod dicimus, « Sicut, » aliquando ad proprietatem refer-  
tur, aliquando ad similitudinem: modo ad proprietatem  
relatum est. Sed exempla nobis etiam de communi locu-  
tione hominum danda sunt, ut facile intelligatur. Quando  
dicimus, Sicut vixit pater, ita et filius; ad similitudinem  
hoc dicimus: et, sicut pecus moritur, ita homo moritur;  
ad similitudinem hoc dicitur. Quando autem dicimus,  
Fecit sicut vir bonus: numquid non est vir bonus, sed  
similitudinem habet viri boni? Fecit tanquam justus: hoc,  
tanquam, non negat eum justum esse, sed proprietatem ejus  
ostendit. Fecisti sicut senator: Ergo non sum senator, si  
dicat: Imo quia es, sicut senator fecisti; et quia justus  
es, sicut justus fecisti; et quia bonus es, sicut bonus fe-  
cisti. Ergo quia et isti vere consolati erant, « Sicut consolati »  
gaudebant: id est, magnum erat gaudium ipsorum, tan-  
quam consolatorum, illo consolante morituros qui mortuus  
est. Omnes enim moriendo gemimus: consolatus est ille qui  
mortuus est, ne mori timeremus. Prior resurrexit, ut ha-  
beremus quod speraremus. Quia ergo prior resurrexit,  
spem nobis dedit: quia in miseria positus, spe consolati  
sumus; hinc gaudium magnum. Et convertit Dominus cap-  
tivitatem nostram, ut jam de captivitate viam teneamus,  
et eamus ad patriam. Jam ergo redempti, in via non ti-  
meamus insidiantes hostes nostros. Ideo enim redemit nos,  
ut non audeat hostis insidiari nobis, si de via non reces-  
serimus. Ipse enim Christus factus est via. Vis non pati  
latrones? Ait tibi, Viam tibi stravi ad patriam, noli de via  
recedere. Talem viam munivi, ut latro ad te non audeat  
accedere: tu ab illa noli recedere, et latro ad te non audet  
accedere. Ambula ergo in Christo et canta gaudens, canta  
tanquam consolatus; quia ille te præcessit, qui jussit ut  
sequaris.

V. « Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua

» nostra exultatione<sup>1</sup>. » Os, fratres mei, quod habemus  
in corpore, quomodo repletur gaudio? Non solet impleri,  
nisi aut cibo, aut potu, aut aliqua re tali missa in os. Im-  
pletur aliquando os nostrum: et plus est quod dicimus  
Sanctitati Vestrae, quando os plenum habemus, loqui non  
possumus. Habemus autem intus os, id est, in corde, unde  
quidquid procedit, si malum est, inquinat nos; si bonum  
est, mundat nos. De ipso enim ore audistis, dum Evan-  
gelium legeretur. Insultabant enim Judæi Domino, quia  
Discipuli ejus non lotis manibus manducabant. Illi insult-  
abant, qui munditiam foris habebant, et intus maculis  
pleni erant: illi insultabant, quorum justitiam non erat,  
nisi in oculis hominum. Dominus autem quærebat mundi-  
tiam nostram interiorem; quæ si fuerit, necesse est ut et  
quæ foris sunt munda sint. « Mundate, inquit, quæ intus  
» sunt, et quæ foris sunt munda erunt<sup>2</sup>. » Ipse Dominus  
dicit alio loco, « Verum date eleemosynas, et ecce omnia  
» munda sunt vobis<sup>3</sup>. » Unde autem procedit eleemosyna?  
De corde. Si enim manum porrigas, nec in corde miserea-  
ris, nihil fecisti: si autem corde miserearis, etiamsi non  
habeas quod porrigas manu, acceptat Deus eleemosynam  
tuam. Illi autem iniqui foris quærebant munditiam. De  
talibus erat etiam ille Pharisæus, qui invitaverat Domi-  
num, quando accessit mulier, quæ in civitate peccatrix  
erat et famosa, quæ lacrymis lavit pedes Domini, tersit  
capillis, unxit unguento. Pharisæus ergo, qui invitaverat  
Dominum<sup>4</sup>, et munditiam non habeat nisi forinsecus cor-  
pore, corde autem plenus erat iniquitate et rapina, dixit  
apud semetipsum, « Iste si esset propheta, sciret quæ mu-  
» lier illi accessit ad pedes<sup>5</sup>. » Unde noverat utrum sciret,  
an nesciret? Sed ideo eum nescire arbitratus est, quia non

<sup>1</sup> Psal. cxxv, 2. — <sup>2</sup> Matth. xxiii, 26. — <sup>3</sup> Luc. xi, 41. — <sup>4</sup> Id. vii, 36.  
— <sup>5</sup> Ibid. 39.

a se eam repulit. Si enim accessisset ad ipsum Pharisæum talis mulier, ille qui munditiam tenebat quasi in carne, exsufflaret, repelleret, abjiceret; ne immunda tangeret mundum, et contaminaret ejus munditiam. Quia hoc non fecit Dominus, ideo illum credidit nescisse qualis mulier illi accessisset ad pedes. Dominus autem non solum illam noverat, sed et cogitationes illius audiebat: quia et si contactus corporis aliquid facit, o immunde Pharisæe, caro Domini posset pollui contactu mulieris, an mulier mundari contactu Domini? Permittebat autem medicus ægrotam tangere medicamentum; et illa quæ venerat, noverat medicum; et quæ solebat in sua fornicatione fortasse esse frontosa, frotonsior facta est ad salutem. Irrupit in domum, quo non erat invitata: sed vulnera habebat, et illuc venerat ubi medicus recumbebat. Ille autem qui invitaverat medicum, sanus sibi videbatur, propterea non curabatur. Jam quæ sequuntur in Evangelio nostis; quomodo confusus est ipse Pharisæus, cum ei ostenderet quia et illam mulierem noverat, et cogitationem ipsius audierat.

VI. Sed ad id revertamur, quod modo de Evangelio lectum est, quod pertinet ad præsentem versum, ubi dictum est: « Impletum est gaudio os nostrum, et lingua » nostra exultatione: » quærimus enim, quod os, et quæ lingua. Attendat Charitas Vestra. Insultatum est Domino, quia non lotis manibus Discipuli ejus manducarent. Respondit illis Dominus sicut oportebat, et vocatis turbis ait: « Audite omnes, et intelligite: Omne quod intrat in os, » non coinquinat hominem, sed quod exit<sup>1</sup>. » Quid est hoc? Cum dixit: « Quod intrat in os, » non nisi os corporis voluit ostendere. Intrannt enim cibi, et non coinquinant homines cibi: quia, « Omnia munda mundis<sup>2</sup>: » et, « Omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum

<sup>1</sup> Matth. xv, 11. — <sup>2</sup> Tit. 1, 15.

» quod cum gratiarum actione percipitur<sup>1</sup>. » In figura Judæis posita erant quædam, et immunda dicta sunt<sup>2</sup>. Sed postea quam lux ipsa venit, remotæ sunt umbræ, non sumus retenti in littera, sed vivificati in spiritu: et non est impositum jugum observationis Christianis, quod impositum erat Judæis; quia Dominus dixit: « Jugum » enim meum suave est, et sarcina mea levis est<sup>3</sup>. » Et, « Omnia, ait Apostolus, munda mundis: immundis autem infidelibus, nihil est mundum, sed polluta sunt eorum et mens et conscientia<sup>4</sup>. » Quid voluit intelligi? Mundo homini, et panis et porcina munda est, immundo nec panis, nec porcina. « Immundis autem, inquit, et infidelibus nihil est mundum. » Quare nihil est mundum? « Sed » polluta sunt, inquit, eorum et mens et conscientia: » quia si interius quod est, immundum est; foris quod est, nihil mundum esse potest. Si ergo illis quibus interiora immunda sunt, exteriora munda esse non possunt; si voveris ut exteriora munda sint, interiora mundato. Ibi est enim os quod implebitur tibi gaudio, et quando taces. Quando enim taces et gaudes, os tuum clamat ad Deum. Sed vide unde gaudeas. Si de sæculo gaudeas: immundo gaudio vociferaris ad Deum: si vero de redemptione gaudeas, quomodo dixit Psalmus iste: « Cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus jucundati; » tunc impletur vero gaudio os tuum, et lingua tua exultatione: manifestum est quia in spe gaudeas, et acceptum est gaudium tuum apud Deum. In ipso gaudio, vel in ipso ore quod habemus intus, et manducamus et bibimus: sicut de isto ore ad refectorem corporis, sic et de illo ore ad refectorem cordis. Nam inde: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur<sup>5</sup>. »

<sup>1</sup> 1 Tim. iv, 4. — <sup>2</sup> Levit. xi. — <sup>3</sup> Matth. xi, 30. — <sup>4</sup> Tit. 1, 15. — <sup>5</sup> Matth. v, 6.

VII. Si autem non facit immundum nisi quod exit de ore, et hoc cum audimus in Evangelio, non intelligimus nisi os corporis; absurdum est et nimis stultum, ut tunc putemus non fieri immundum hominem, cum manducat, tunc autem putemus immundum, si vomat. Ait enim Dominus: « Non quod intrat in os, sed quod exit, coinquinat<sup>1</sup>. » Quando ergo manducas, non fis immundus? et quando vomis, efficeris immundus? Quando bibis, non es immundus; et quando spuis, immundus es? Quando spuis enim, de ore tuo exit aliquid; quando bibis, in os intrat aliquid. Quid voluit dicere Dominus: « Non » quod intrat in os, sed quod exit, inquinat? » Secutus eodem loco secundum alium Evangelistam dixit quæ sunt, quæ procedunt de ore: ut intelligas non de ore corporis eum dixisse, sed de ore cordis. Ait enim: « De corde enim » exeunt cogitationes malæ, fornicationes, homicidia, » blasphemiæ; hæc sunt quæ coinquant hominem: non » lotis autem manibus manducare non coinquant homi- » nem<sup>2</sup>. » Illa ergo, fratres mei, quomodo exeunt de ore, nisi quia exeunt de corde, sicut ipse Dominus dicit? Non enim quando illa loquimur, tunc nos maculant. Ne quis dicat: Quando loquitur, de ore nostro exeunt, quia verba et voces de ore nostro exeunt; et quando mala loquimur, immundi efficimur. Quid si aliquis non loquatur, et tantum cogitet mala, mundus est, quia de ore ipsius corporis nihil processit? Sed de ore cordis jam Deus audivit. Ecce, fratres mei, attendite quæ dico. Nomino furtum: modo nominavi furtum, numquid quia nominavi furtum, contaminavit me furtum? Ecce de ore meo exiit, et non me fecit immundum. Fur autem surgit in nocte, et nihil dicit ore, et faciendo fit immundus. Non solum non dicit, sed et

<sup>1</sup> Matth. xv, 11. — <sup>2</sup> Ibid. 1-20, et Marc. vii, 5-23.

premit facinus toto silentio; et usque adeo vocem suam timet audiri, ut nec vestigia sua velit sonare: numquid ergo quia ita silet, mundus est? Plus autem dico, fratres mei. Ecce adhuc in stratu suo jacet, nondum surrexit ut furtum faciat; vigilat, et expectat ut homines dormiant: jam Deo clamat, jam fur est, jam immundus est, jam facinus de ore interiore processit. Quando enim facinus ex ore procedit? Quando voluntas faciendi decernitur. Decrevisti facere; dixisti, fecisti. Si furtum non feceris foris; forsitan ille non meruit perdere, cui disponebas auferre. Et ille nihil perdidit, et tu de furto damnaberis. Decrevisti occidere hominem; dixisti in corde, sonuit de ore tuo interiore homicidium: adhuc vivit homo, et tu homicida puniris. Quid sis enim apud Deum, quæritur, non quid nondum apparueris apud homines.

VIII. Certe ergo novimus, et nosse debemus, et tenere, quia est os cordis, est et lingua cordis. Ipsum os impletur gaudio: in ipso ore intus oramus Deum, quando labia clausa sunt, et patet conscientia. Silentium est, et clamat pectus: sed auribus cujus? Non hominis, sed Dei. Securus ergo esto, ille audit qui miseretur. Et rursus quando nemo hominum audit mala, si procedunt de ore tuo, noli esse securus, quia ille audit qui damnat. Susanna non audiebatur ab injustis iudicibus, tacebat et orabat. Os ejus non audiebatur ab hominibus, cor ejus clamabat ad Deum<sup>1</sup>. Numquid quia vox ejus de ore corporis non processit, propterea exaudiri non meruit? Exaudita est illa; quando oravit, nemo hominum scivit. Ergo, fratres, quid habeamus in ore interiore, cogitate. Ibi videte ne quid mali dicatis intus, et nihil mali facitis foris: non potest enim fieri ab homine foris, nisi quod dictum fuerit

<sup>1</sup> Dan. xiii, 35, etc.

intus. Custodi os cordis a malo, et innocens eris, innocens erit lingua corporis tui, innocentes manus erunt; etiam pedes innocentes erunt, oculi innocentes erunt, aures innocentes erunt, omnia membra tua justitiæ militabunt, quia imperator justus tenuit cor.

IX. « Tunc dicent inter Gentes: Magnificavit Dominus » facere cum eis. Magnificavit Dominus facere nobiscum; » facti sumus jucundati<sup>1</sup>. » Videte, fratres, si modo Sion non illud dicit inter Gentes, per totum orbem terrarum: videte si non ad Ecclesiam curritur. In toto orbe terrarum pretium nostrum accipitur; Amen respondetur. Dicunt ergo inter Gentes Jerosolymitani captivi, Jerosolymitani redituri, peregrini, suspirantes patriæ suæ. Quid dicunt? « Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus » jucundati. » Numquid ipsi secum fecerunt? Ipsi male secum fecerunt, quia sub peccato se vendiderunt. Redemptor venit, et bene cum illis fecit: et « Magnificavit » Dominus facere cum eis. Magnificavit Dominus facere » nobiscum; facti sumus jucundati. »

X. « Convertite, Domine, captivitatem nostram, sicut » torrens in austro<sup>2</sup>. » Quid sit hoc, attendat Charitas Vestra. Jam dixerat: « Cum converteret Dominus capti- » vitatem Sion. » Quasi de præterito loquebatur: sed solet fieri ut de præterito loquens, futura prænuntiet Propheta. Nam quasi de præterito loquebatur, cum in alio Psalmo diceret: « Foderunt manus meas et pedes meos, » dinumeraverunt omnia ossa mea<sup>3</sup>. » Non dixit, fossuri sunt; non dixit, Dinumerabunt; non dixit, Divident sibi vestimenta mea; non dixit, Super vestimentum meum mittent sortem: futura erant, et quasi facta cantabantur. Omnia enim quæ futura sunt, Deo jam facta sunt. Hic ergo cum diceret: « Cum converteret Dominus captivita-

<sup>1</sup> Psal cxxv, 3. — <sup>2</sup> Ibid. 4. — <sup>3</sup> Id. xxi, 17.

» tem Sion, facti sumus sicut consolati; tunc repletum » est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione: » ut ostenderet se figura præteriti futura cogitare, ait: « Tunc dicent inter Gentes. Dicent, » jam de futuro est. « Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus ju- » cundati. » Tunc cum cantabantur, futura erant, et nunc videntur præsentia. Ergo orat tanquam de futuris, qui futura tanquam præterita præcinebat: « Convertite, » Domine, captivitatem nostram. » Nondum erat ergo conversa captivitas, quia nondum Redemptor advenerat. Ergo quando cantati sunt Psalmi, quod orabatur tunc, jam factum est: « Convertite, Domine, captivitatem nos- » tram, sicut torrens in austro. » Sicut convertuntur tor- » rentes in austro, sic convertite captivitatem nostram. Quæ- » rebatur quod sit: sed patebit modo, adjuvante Domino, vestris orationibus. Quodam loco Scriptura, cum præci- » peret et moneret de operibus bonis, ait: « Sicut glacies » in sereno, ita solventur peccata tua<sup>1</sup>. » Ergo peccata ligabant nos. Quomodo? Quomodo frigus ligat aquam ne currat. Et illigati frigore peccatorum gelavimus. Auster autem calidus ventus est: quando flat auster, liquescit glacies, et implentur torrentes. Torrentes autem dicuntur flumina hyemalia: magno enim impetu repentinis aquis impleta currunt. Gelaveramus ergo in captivitate, constringebant nos peccata nostra: flavit auster Spiritus sanctus; dimissa sunt nobis peccata, soluti sumus a frigore iniquitatis, tanquam glacies in sereno, solvuntur peccata nostra. Curramus ad patriam, quasi torrentes in austro. Diu enim laboravimus, et laboramus etiam facientes bene. Nam ipsa vita humana quam ingressi sumus, misera est, laboribus plena, doloribus, periculis, ærumnis, tentationibus. Nolite seduci gaudio rerum humana-

<sup>1</sup> Eccli. iii, 17.